



ORATIO
ALDI
MANNUCCI
AD
SIST. V
ALDUS
1585
ALDINI
I
5
14












Ald. 1/6.—



BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
ALDINI
I
5
14
RACCOLTA NENCINI


OTIVM
SINE LITERIS
MORS EST
Seneca
Ex Libris Ioannis Nencini
1874











AD SISTVM V. Pont. Opt. Max.

ORATIO
Aldi Mannuccii,
Habita
in Academia
BONONIENSI
CIↃ IↃ XXCV
Prid. Id. Maij.



SISTO V. PONT. OPT. MAX.



N uniuersa Christianorum omnium laetitia, SISTE, Pontifex Max. idemq. Maxime Pontificum, silere me, me, inquam, qui & publico nomine omnia Tibi debere plane confiteor, & id perlibenter, omnibus hominibus approbantibus, praedico, & uero priuato Paulli Patris mei tantum Tibi debeo, quantum ne cogitatione quidem assequi possum, prorsus nefarium esse duco. Tu enim ita de eo semper sensisti, ut egregium uirum, quae summa laus est, a Te praecipue profecta, eum esse diceres. hanc animi Tui sententiam carissimam ei semper fuisse, uel illud indicio est, quod, eo mortuo, in ijs, quae carissima habebat, scriptis scriptum hoc Tuum diligentissime asseruatum compererim. quinimmo & uiuens saepissime de eo mecum, summa utri-

usque nostrum animi iucunditate, (hanc enim hereditatem ad me pertinere censebam) colloquebatur. Ceciditq. peropportune, ut, quo Tu tempore ad Christianae Reip. administrationem, Tuis singularibus uirtutibus debitum iam diu praemium, es euectus, eodem Ego in Tuo aere magis esse incipiam. Bononiae sum, ut Auitam, Paternamque, hereditatem aliqua saltem ex parte tuear. Quod praestare conabor, quantum uires meae ferent: assequarq. fortasse, Tuo praesertim ductu, Tuisq. auspicijs, Pater Beatissime. Multa enim latent, quae, ab Augustis Principibus illustrata, uere illustres eos reddunt, publicamq. utilitatem, quam praecipue spectare Principes, quamq. unam ob oculos habere, debent, maxima eorum memoriae commendatione, uel maxime iuuant. Ne igitur omnino silerem, uolui Orationem, quam in ingressu nobilissimae huius Academiae habui, ad Te mittere. maiora ueteris Paternae, meaeq. obseruantiae signa in posterum missurus. Vt interim exstet monumentum hoc meum, qualecumque sit, in Pontificia Vaticana Bibliotheca, omnium instructissima. Quae cum a Sisto IV.

cuius illustri memoria nedum Roma, sed uniuersa Italia, recreatur, fundata fuerit, a Te, qui, nomen Eius referens, uiuam Eius gloriosarum actionum imaginem a nobis desiderari hucusquè non pateris, neque, quod boni omnes confidunt, umquam patieris, incrementum exspectat, praestantissimo Tuo animo dignum. Faxit Deus, ut, quae a Te maxima, iure optimo, exspectantur, ea quamprimum, ad Christianae Reip. gloriam, ac ornamentum, perfecta, & absoluta, uideamus. Vt, aureo tandem saeculo restituto, optatam magis antea, quam speratam, temporum iniuria, felicitatem consecuti, felicissimam uitam in terris degamus, & ad aeternam, caelestemque, planissimum nobis aditum paremus.

Bononiae. Idibus Maij. CIↃ IↃ XXCV

SANCTITATIS. VESTRAE

& Eius praestantissimarum Virtutum,

& propria uoluntate,

& Paterna hereditate,

studiosissimus,

Aldus Mannuccius, Paulli F. Aldi N.



MAGNA omnino, uel potius maxima, Virtutis uis est, R.me Prolegate, Illustrissimi Senatores, nobilissimique, qui adestis, Auditores; non minima etiam uis est uel in sola Virtutis opinione. Id quidem si mihi antea, aut uestrum alicui, fuisset obscurum, nunc certe uel haec una ad me audiendum frequentia incredibilis ita illustre, itaq. perspicuum, redderet, ut hac de re nemo praeterea dubitare posse uideretur. Quid enim uos, uos, inquam, ipsos, in quibus cum summa, ac multiplici, rerum cognitione mirificum iudicium, cum utroque singularis prudentia, ita inter se certare, & contendere, uidentur, ut, utra uirtutum earum ceteris praestet, difficile sit iudicare: quid, inquam, uos ipsos ad meam hanc ingenij tenuitatem praesentiae uestrae dignitate, & auctoritate, decorandam, atque honestandam, adduxit, praeter unicam illam, uobis tantopere gratam, sed mihi ad praestandum difficillimam, uirtutis opinionem, quam de me aut rumor ipse concitarat, aut studium erga me uestrum, ex insigni humanitate uestra profectum, aluerat, & confirmauerat? Verum Ego, & loci huius amplissimi, & tot, ac tantorum, uirorum, quos uniuersa & diligit, & admiratur, Italia, splendore commotus, cum etiam ipse, quid mearum mediocritas uirium possit efficere, mihi optime sim conscius, multo antea copijs ingenij mei perlustratis, si mihi umquam Diuinam opem duxi esse implorandam, in aliquo dignitatis meae discrimine constitutus, nunc illam mihi uotis, precibusq. omnibus expetendam sentio; praeclare q. mecum actum iri existimo, si tantum mihi, a Caelesti benignitate, aut ingenij contigerit, aut eloquentiae, quo non dico integram explere uestram de me exspectationem queam, uerum earum laudum, quae a uobis industriae meae, nondum re perspectae, plena manu tribuuntur, tantum promereri, ut neque iudicium in me cooptando uestrum ab aliquo iure reprehendatur, neque mea ad hanc suscipiendam prouinciam alacritas temeritatis nomine condemnetur. Non sum enim, non sum

certe ita rerum imperitus, ut huius loci amplitudinem, & meas angustias, aut ignorem, aut, mihi minime ignoratas, non considerem. Vt igitur, quod res est, fatear, haereo, nec labantem animum ulla ratione confirmare ualeo, nisi uestra fretus humanitate. Quantum enim me a dicendo deterret suscepti oneris grauitas, ingenij mei imbecillitas, meritorum nulla fere copia, tantum me recreari sentio singulari uestra benignitate, animumq. meum igniculis quibusdam excitari recordationis beneuolentiae, & facilitatis uestrae, indulgentisq. uoluntatis. Quae mihi spem non minimam faciunt, fore, ut uos amoris multo plus, quam iudicij, conferatis ad ea, quae a me breuiter hodierno die dicenda sunt; eaq. omnia aequi boniq. consulatis; animumq. inducatis uestrum, non minorem deberi laudem ei, qui uoluntati, ac studijs uestris morem gerat, quam ei, qui cum uoluntate sua maximam, atque ipsa uoluntate maiorem, facultatem praeseferat. Vestri sane in me beneficij magnitudinem optime perspicio. Et, dum eam undique animo recolo, facile comperio, eam a nulla mei animi uirtute, praeterquam a uoluntate, atque erga uos beneuolentia, exaequari posse: doctrinam etenim, aut eloquentiam, si est ulla in me uis eloquentiae, liberalitas uestra longo post se interuallo relinquit: uestrum quouis iudice, & huius, & aliarum facultatum laude praestante. Fulgent enim, in hac auditorum frequentia, ingenij, doctrinae, eloquentiae, prudentiae, lumina, quasi clarissima Bononiae Sidera; quorum splendore Vrbs ista, Solis instar, ceteris aliarum Vrbium luminibus tenebras offundere uidetur. Cuius uerissimae laudes antequam a nobis attingantur, nonnulla apud uos dicere decreui: quorum commemoratio, licet uobis superuacanea uideri possit, mihi certe, pro instituti mei ratione, omnino necessaria censeatur.

Vetus quidem fuit, & ea communis, sapientium uirorum, opinio, inter omnia, quae a parente rerum Natura admiratione digna proficiscuntur, illud summis esse laudibus efferendum, quod nihil umquam frustra, aut teme-

re, effecerit. cum enim ipsa sit ex optimo deducta principio, quae diuina mens est, ratio postulare uidetur, ut inchoata etiam exitu optimo concludat. Cum igitur haec benigna parens hominem finxisset, & ipsum animans prouidum, sagax, acutum, memoriaq. praeditum, effecisset, eum, statim factum, pro suae condicione naturae, ad honestissimum finem cogitationes suas, & facta, iussit dirigere. Porro, cum duo essent humani fines, ad quos omnis nostra tum actio, tum cogitatio, refertur; alter, qui in cognitione ueri est positus, alter, qui in optione boni; hominem quoque utriusque summo flagrare desiderio uoluit. Insidet igitur, quae insita est, animis nostris summa quaedam sciendi cupiditas: ad quam quotidie inflammandam maximum attulit momentum, atque occasionem, tanta rerum omnium uarietas, tanta naturae opum copia, tamq. insignis huius Caeli ornatus: in quo adeo diligens fuit Natura, ut neque necessitati, neque uoluptati nostrae, quod amplius requirere possemus, quidquam reliquerit. Spectetur hoc, spectetur, inquam, hoc Caelum, quoddam quasi Naturae ipsius speculum, in quo tantam cernere est motuum celeritatem, tantam in praecipiti uertigine, & uolutatione, rationem, tantum in eius luminibus splendorem, ut, quasi suapte natura, tamquam magnes ferrum, sic ipsum animos nostros ad se contemplandum rapere, nedum allicere, uideatur. Elementa ipsa complectamur animis, tot rerum uarietati obnoxia, ut sua mole, ac magnitudine, cunctarum rerum mortalium materia exsistunt, & suo ordine, ac serie, aeternam rerum omnium, quae oriuntur, & intereunt, seruant harmoniam. illa lapides, gemmas, metallorum uenas, gignunt, herbas, plantas, arbores, animalia tum perfecta, tum imperfecta, praeterea colorum, saporum, & qualitatum aliarum, uarietatem creant. hinc dulce, amarum; salsum, insulsum; asperum, molle; durum, tenerum; colore praeditum, ac uacans; perspicuum, obscurum, ex elementorum admistione generantur. Et, ut multa paucis complectar, ex his omnia illa prodeunt, & coalescunt, quae aliquando esse coeperunt, & aliquando esse desinent.

nent. quorum in medio homo, tamquam in amplissimo, & pulcherrimo, theatro, quasi arbiter, & spectator, collocatus est. Nos igitur, aut tam iniqui, aut tam socordes, erimus, ut, cum tot nobis diuitias, tam praeclaras epulas, tam pulchram, atque fructuosam, proposuerit Natura lectionem, Endymionis instar, uniuersam aetatem somno occupati, nihil laboremus? nihil sudemus? numquam uigilemus? Vrit ignis, & sua natura summa petit, aer ubique funditur, omnia permeat aqua, suo ipsa humore omnia emollit, & terram circumplectens ad ima fertur, terra sua se mole sustentat, plantae pullulant, animantia sentiunt, collucent sidera, omnia denique dato sibi munere funguntur: nos, ad contemplandum nati, lenti sedebimus, & otio torpescemus? Auiculae suos sibi nidos parant; aranea telas texit; consulit sibi in hiemem formica: nos, homines, tam insignibus bonis, atque excellentibus, praediti, desidia languescemus, &, graui ueterno oppressi, uitam traducemus? Homo igitur cum sit a Natura factus inter omnia animantia nobilissimus, atque praestantissimus, uel potius, ut Aegyptiorum, & Chaldaeorum, Oracula dixere, felicissimus Hymenaeus, & coniugium, rerum diuinarum, & humanarum: necessarium uidetur esse, ut non uni tantum muneri, & operi, sit a Natura destinatus; neque ad unum tantum finem suas omnes referat actiones. Ac, quoniam illa actio perfecta existimari debet, quae ad optimum finem, atque perfectum, dirigitur; credendum est, cum humanae actiones ad perfectissimum finem dirigi omnes debeant, qui quidem est, ex Platonis sententia, similitudo, quoad eius fieri potest, humanae cum diuina natura; perfectissimas illas, ac honestissimas, esse. At, quae nobilior, quae diuinior, est operatio Contemplatione ueri? in qua princeps ille Peripateticorum summam esse positam existimauit hominum felicitatem? Hinc factum est, ut Natura, cum hominem optaret ad ueritatis cognitionem ducere, sensus tribuerit, ingenium, iudicium, cogitationem, mentem ipsam; ex quibus omnia, quae in rerum natura exsisterent, sub nostram cadere intelligentiam possent. Dispositi itaque

que fuere ſenſus, ut, quaſi quinque interpretes, & nuncij, foribus aſſiderent: eorumq. praecipui in capite collocati, tamquam in altiſſima arce: Oculi praeſertim, quorum cum uis ſit acerrima, uti exploratores adhibiti, ut plus, quam ceteri ſenſus, ueluti ex ſpecula, poſſent proſpicere. Et, quia rerum odores, exſpirantes, ut plurimum ſuperiorem petunt regionem, Nares ipſae in ſuperiori parte collocatae ſunt; ut, quae illarum ſenſui patent, facilius, aptiusque, comprehenderentur: Aures uero, & Os, in perforati Orbis ſpeciem fuere conformata; hoc, ut uocem edere, illae, ut audire non incommode, poſſent. In eodem capite fuit Lingua conſtituta, ut ſimul epularem uarietatem deguſtaret, &, dentium quodam ſaepto, & freno, coercita, uerborum copiam, & quaſi profluentem, ſeſeq. efferentem, uim frenaret, & illi articulos germanos, diſtinctamq. formam, redderet. atque ita ex noſtra uoluntate, & ratione, uſus prodijt Locutionis; quae, cum Eloquentiae ſuauitate coniuncta, mirabiliter audientes oblectat, animosq. noſtros incredibili uoluptate perfundit; dum animi arcana, tamquam uocalis imago rerum, explicat, & ijs, qui audiunt, uelut ea, quae cernuntur, oculis ſubijcit; &, quaecumque animus, rationis ui, diu perueſtigata, comperit, aut uera eſſe, aut falſa, ea ceteris recludit, atque communicat. Sed, quo, dij immortales, artificio Aures ipſae fuere comparatae, atque factae, ut ſimul emineant, &, quaſi quodam amfractu, in orbem flectantur? ut & ad audiendum attentius arrigi poſſent, & uerba diutius retinerentur, quo explicatior illorum eſſet notio, & intelligentia. Et, ne Natura ulla in parte deeſſet, prouidit, ut, cum perpetua haec noſtra uita eſſe non poſſit, expiſcari, & indagare, Litteras poſſet homo in qualibet lingua, unde ſapientum uerba, & oratio, chartis conſignata, atque litteris, ad omnem aeternitatem commendaretur; nec umquam eorum memoria intermori poſſet, ſed poſteris etiam, qui longe abfuturi ſunt, lucubrationibus, & ſcriptis, mirificam utilitatem impartiret. his, amicos alloquimur abſentes, non ſecus, atque ſi adeſſent; rerum praeteritarum memoriam,

tamquam in thesauro reconditam, conseruamus; leges per has condimus, quae uniuersum terrarum orbem regunt, & corrigunt; per has Deo hymnos decantamus; & bene uiuendi praecepta tradimus; & omnes scientias, ab omni saeculorum memoria inuentas, quasi hereditario iure ad posteros transmittimus. Verum, ut ad uiuam hominis uocem, & orationem, mea se conuertat oratio; per hanc de omnibus quaerimus, sciscitamur, respondemus: haec disceptat, disserit, docet, altercatur, consultat, atque decernit. hac una laudantur, & uituperantur, homines: hac suademus, & deterremus: hac defendimus, & accusamus: hac ineuntur amicitae, foedera, societates, pacta, conuentus, & hominum communiones, omnes denique actiones: quae omnia sine oratione aut minime fierent, aut facta conseruari nullo modo possent. O suauis, atque benigna, Natura, uere benigna, atque suauis; quantum tibi de hac tua immensa bonitate, & liberalitate, debemus; quantas tibi gratias agimus; quantisq. tua diuina merita praeconijs efferimus? Tu, optimum summi Dei, atque immortale, instrumentum, tantum hominis decus extulisti, ut nihil iam in uniuerso caeli, terraeque, ambitu reperiatur, cuius imaginem non referat. ex quo, iure, paruus mundus Homo uocari solet, quod omnia fere, quae in magno sunt, in hoc pusillo eius mundo conspiciantur. Sed, ut in orbem quasi propositi reuertar, quid dicendum erit de partibus animae praestantioribus, cum tantam industriam, atque curam, in sensibus Natura defixerit? haec autem sunt; Mens ipsa, quae ad rerum diuinarum, & principum caussarum, cognitionem inuestigandam est tributa; Ratio, quae ex certis, atque exploratis, rebus multa colligens, incertis, & dubijs, fidem facit; Imaginandi uis illa, quae res perarduas, & ea quae interdum fieri minime possunt, sic sibi fingit, & proponit, ut alios plerumque, seq. ipsam saepissime, fallat, Memoria, quae omne id, quod aut Imaginatrix animi facultas ex plurimis rerum imaginibus expressit, aut illa suprema uirtus animi, ac mentis, ratiocinando, collegit, id

omne

omne in se reconditum, atque fideliter asseruatum, opportune nobis exhibet, atque depromit. Quis his mirificus animi facultatum concentus? Qui ordo incredibilis? Quae uarietas iucunda, atque suauis? Sileant ingrati, qui queruntur, & iactant illud suum, Naturam nobis fuisse Nouercam, quae tam breui temporis curriculo, tantis rerum uicissitudinibus, tot fortunae aduersae telis propositam uitam circumscripserit. Ipsi porro ingrati, nisi haec pulcherrima munera, atque dona, perspiciant, nisi Naturam parentem agnoscant; & dementes existimari profecto debent, si feliciorem nobis Ceruum arbitrantur, quod diuitius uiuat; Canem, quod odorandi ui longe antecellat; Aquilam, quod perspicaciori sit acie oculorum; Leonem, quod maiori robore, & uirum firmitate, sit praeditus. Satis profecto, satis ad haec incommoda compensanda uideri debet, quod rationis commoditatem sit elargita, mentis lumen, cognitionem ueri, & summi boni optionem, & adeptionem. Admiremur itaque, querimonijs omissis, beneficia; &, quantum possumus, gratias Largitori agamus. Ceteris Natura animantibus corium, pellem, plumas, squamas, dedit; &, quibus se, suumq. corpus, tuerentur, dentes, rostra, ungues, cornua; homini uero corpus exiguum, imbecille, nudum, & inerme, concessit. Nos uero ne propterea tam stultam ueniamus in sententiam, ut suspicemur cariora illi fuisse huiusmodi leuia animalia, conchylia, atque testudines, homine ipso, omnium rerum in terris dominatore, ceterorumq. animantium gubernatore? Ad hoc profecto nati sumus, ut non solum hanc uitam, corpusque, tueamur, aut uoluptatibus perfruamur; sed, ut cum uirtute eam traducamus, illiq. toti simus addicti. Hinc plus animi nobis tribuit, quam corporis; plus mentis, quam uirium, atque roboris; ut, harum ope, meminisse praeterita, nosse praesentia, & futura prospicere, possemus; immortalitatem nominis praeclaris factis, & uirtuti praemium honestissimum, proponens. Ille profecto, qui tantummodo corporis abdomini seruit, animumq. turpi otio sinit hebescere, simi-

lis mihi uidetur homini, qui, cum equorum alendorum studio magnopere delectetur, ei tamen equo, quem, & nobilitate armenti, & pedum uelocitate, omnibus anteponat, maximiq. faciat, clitellas imponat, aut molam in pistrino trudere cogat. Nulla igitur sui parte abutantur homines, aliorsum earum officia traducentes, quam quo Natura direxit. Carthaginiensem quendam adolescentem, ferunt, cum Leonem a teneris sumpsisset, ita immanem efferatae belluae animum paullatim mansuefecisse, cicuremq. adeo reddidisse, ut iam corroboratus, & grandior factus, Leo, ad omnes usus facile flecteretur. Senatus, iudicio condemnatum adolescentem morte multauit: quippe qui maximo se scelere obstrinxisse uideretur, quod ingenium ferae, & naturalem immanitatem, mutare conatus esset. Quanto maiori supplicio, atque poena, afficiendus uideatur is, qui animum, ad comparandas uirtutes a Natura tributum, a praestantissimo, uereq. diuino, munere abductum, & uoluptatum illecebris delenitum, parere sensibus, & in seruire, cogunt? quibus ille datus est, dominus, atque moderator, & princeps? Quare, si homini haec duo spectanda sunt, haec duo quaerenda; boni cognitio, & ueri; quorum in altero scientia est posita, in altro modus, & ratio, uiuendi cum uirtute: credendum est, in utraque summum nostrum bonum, felicitatemq. esse repositam. Haec duo uitae genera, actiuum, & cōtemplatiuum. sic ab antiquis appellata, duo sunt illa uehicula, & alae, diuini Platonis uoce celebratae, quibus humo surgit nostra mens, & in caelum usque transfertur. haec nobis caelestum beneuolentiam conciliant, & naturae. haec nos in Ciuium luce honestos reddunt, amicis iucundos, posteris fructuosos, &, per omnes aetates, omnibus linguis, atque memoria, celebratos a uulgi sentina, & a plebis faece, seiungunt. his denique sustentata humana natura, quantum assequi per se ipsa potest, similem se Deo reddere contendit; meditatione Diuinam sapientiam, actione prouidentiam, imitata.

Reliquum mihi est, ut ad huius cognitionis, & scien-

tiae, excellentiam uos inflammem, honestisſimi adoleſcentes, auditores mei. quod praeſtare contenderem totis uiribus, niſi mihi eſſet exploratum, uos, praeclare ad uirtutem animatos, tamquam ad metam, gloriae ſtimulis incitari. Solum igitur uos rogabo, atque per eam, quam in uobis ardere uideo, cupiditatem, ſitimque, diſcendi, obteſtabor, ut inſtitutum induſtiae ueſtrae curſum retineatis, & me ducem, qui me uobis ſemper amantiſsimum, atque ſtudioſiſſimum, praeſtabo, adeo ueſtra diligentia, & attentione, ſubſequamini, ut neque uos umquam cohortatione egeatis, nec ullum plane ueſtri deſiderandi ſtudij locum mihi uideamini reliquiſſe. Et ſane, inter praecipuas cauſſas, quibus adductus, Patriae commoda, & ornamenta, contempſi, in qua honeſtiſsimo loco eram, apud illos uere Heroes, non minus Chriſtianae, quam Venetae, Reip. propugnatores; ut ueſtris commodis, atque ſtudijs, conſulerem; hoc uel primum fuit, quod audieram, Academiam hanc optimis florere ingenijs, qui non ſolum optime eſſent ad laudem informati, ſed duorum etiam finium, quos ſuperius commemoraui, ſectatores, & cognitores. Cuius quidem rei, ne ab uniuerſa doctorum hominum ſententia diſcrepem, exiſtimo, praeter cetera, Caelum quoque ipſum praecipuam cauſſam afferre; quod bonorum omnium refertiſsimam copiam in hanc Vrbem diffundere uidetur, quibus eam reddit, & amoenitate, & pulchritudine, conſpicuam, & uiſentibus iucundiſsimam; eamq. praeclaris ornat ingenijs: quorum uis maxima, in omnis cognitionis, & ſcientiae, genere, tamquam ex equo Troiano, ſemper exſtitit. Eſt enim profecto Bononia, uetuſtiſsimum, & honeſtiſsimum, omnium uirtutum ſeminarium, in ſinu Italiae, ut omnes ſciunt, conſtituta, quam undique amoeniſsimorum camporum cingit, & amplectitur, ubertas; ex quibus larga omnium rerum copia, quae ad humanam uitam uidentur pertinere, colligitur; inter duas praecipue Italiae prouincias. Galliam Ciſalpinam, & Flaminiam; ea in gyrum ſoli magnitudine, quae maximas quaſque Ciuitates aequet; populo-

rum,

rum frequentia, & incolarum copia, substructionum, & aedium, magnificentia, templorum quoque ornatissimorum amplitudine, cohonestata: addo Scholarum, & Academiae, pulchritudinem, & pulcherrima, ad pauperum subleuandam inopiam, hospitia, summa cum pietate coniuncta, ita omnibus rebus, ad illorum usum necessarijs, instructa, atque parata, ut nulli in Europae finibus Ciuitati, quamuis opulentissimae, concedat. in aedium uero priuatarum collocatione, & in porticuum serie, sub quarum latissimo, & amplo, spatio, per uniuersam Ciuitatem, uelut intra domesticos parietes, discurritur, nulla profecto, neque in Italia, neque alibi usquam, reperiri potest, quae huic nobilissimae conferri, nedum anteponi, posse uideatur. Sed haec, etsi magna per se sint, sunt illi tamen cum ceteris communia: quod his bonis omnes fere Ciuitates, inter se, nulla sint alia, nisi quantitatis, ratione distinctae, cum alia magis, alia minus, ijdem sit rebus ornata. Atque ideo has Ego non recensendas, sed breuiter dicendo perstringendas, putaui, ut ad eas properarem, quas iamdudum commemorare cupio, quaeq. magis ad laudem pertinere uidentur, & maiorem mihi segetem orationis proponunt. Cum trita bonorum partitione uti possimus: quaeq. iam commemorauimus, e fortuna pendere constet; quae uero deinceps enumerabuntur, animi esse appareat. Illa igitur, quae huius Vrbis arbitror esse propria bona, & sua, quasi munera; quorum in partem nulla uenit alia; sunt, ciuilis maxime, summa cum honestate, cultus, & singularis, in uiuendi consuetudine, urbanitas, facilitas, humanitas, morum suauitas, & politissimi, liberalissimique, mores, non solum in ijs, qui nobilitate excellunt, uerum etiam mediocrium, & ipsius plebis: cum fere nemo sit, quin, pro rerum natura, & in loquendo, & in agendo, ita se gerat, ut amabilissimos mores, seq. humanissimum, probet, & cum patrio Caelo simul haustam suauitatem, & animi moderationem, praestet. hoc enim quasi humanitatis lacte educantur animi in hac Vrbe, mutuamq. inter se consuetudinem tuentur, societatemq. conseruant: ne

que

que tamen cum aduenis hanc contrahunt liberalitatem; immo magis exstat, seseq. latius ad illorum commoda Bononiensum porrigit, atque explicat, humanitas. hospitalitatis, & omni beneficentiae genere erga hospites suos omnem & spem, & exspectationem, plane uincunt. tanto illos studio, tanta hilaritate, excipiunt, & amplexantur. Quicumque Bononiam diuertit, statim non solum amicos, sed prope fratres amantissimos, &, plus quam credi potest, officiosos comparat, qui nihil omnino praetermittunt, quod ad eum honorifice excipiendum, atque ornandum, faciat: ut dies noctesq. nihil aliud, nisi ut de suis hospitibus benemereri posint, & agere, & cogitare, uideantur. Hinc fit, ut plurimi, tanta allecti morum facilitate, & liberalitate, plerumque in hac Vrbe diutius commorentur: atque, hinc digressi, quocumque proficiscuntur, Bononiensium summam, & singularem, humanitatem commemorent, summaq. cum laude celebrantes praedicent. Et, cum animos nostros nihil magis, quam uiuum non simulatae probitatis exemplar, inflammet, & ad imitationis studium impellat, illi quoque, domos suas reuersi, honestissimo huius uirtutis studio flagrantes, retentosq. ex tantae liberalitatis lumine uelut igniculos excitantes, patriam quoque suam clarissimo tam egregiae uirtutis splendore collustrant. Quod qui faciunt, sapienter mehercule faciunt. Nam, si tanto studio ceteri homines in externis gentibus, nouos uestimentorum ritus, & cultus, nouas delicias, noua ornatus genera, ad commoditatem, & luxum corporis tantummodo, exquirunt, & domum, summo etiam cum impendio, reportant: quanto maiori ornandi laude sunt, qui hos mores colligunt, & pulcherrima uirtutum semina in suas Ciuitates inuehunt, quibus non familiae solum, sed Ciuitates, & Prouinciae, medius fidius ornantur uniuersae. ROMA ipsa, rerum pulcherrima, gentium domina, orbis deliciae, a primis suis temporibus, & crescentis Imperij incunabulis, *communis Patria* existimata, & appellata, est; quod fuerit semper in omnes benefica, & liberalis; omnes dignitates, omnia iura Ciuitatis, & ordines, o-

mnibus communicarit: noſtroq. hoc ſaeculo, idem nomen, idem retinens inſtitutum, gradus honorum benigne omnibus diuidit, qui uiam ſibi, & aditum, uirtutibus ad illam muniunt. Eadem ratione, parum ue diſsimili, poteſt Bononia uocari *Patria communis:* tum, quod illi, qui ſe huc conferunt, amantiſsimos, eoſdemq. cariſsimos, ut diximus, amicos parant; quod plerumque multi in Patria uix ſunt aſſecuti: tum, quia ex illa, quaſi communi omnium altrice, atque parente, uniuerſae Europae regiones ſuauiſsimos mores hauriunt. merito igitur hoc illi nomen tribui poteſt, ut *Patria communis* appelletur; ut cum altero, quo inſignita eſt, pulcherrimo nomine coniungatur, *Parentis Studiorum*. hoc enim iampridem conſecuta eſt, cum, tot ab hinc ſaeculis, multa ſua cum gloria, diſciplinarum omnium, & artium, quae magni apud homines aeſtimantur, ſtudia aluerit, & cadentem fere literarum gloriam ſuſtentarit. Sapientiſsimum profecto conſilium, & mira Theodoſij II. Imp. prouidentia iure optimo celebratur, qui, cum mille abhinc centum annos florentiſsimam hanc Vrbem inſtauraſſet, non ſolum auxit, & ornauit aedificijs, & incolis, ſed, ampliſſimis illi priuilegijs irrogatis, commune, & ſempiternum, liberalium diſciplinarum hoſpitium eſſe uoluit, & uocauit *omnium ſcientiarum fontem, arcanorum ſuorum apiarium, perennem Studij ſedem*; ac, ſi dixiſſet, poetice deſcribens, nouum Parnaſſum, atque Pindum. Neque hoc temere, aut repentino animi motu, ſed maturo conſilio, ſtatuit, & plus, quam biennio, ut ipſe teſtatur, *captus comoditate, ac fertilitate loci*: idq. in uniuerſo Chriſtianorum Concilio, cum adeſſet Pontifex Caeleſtinus, cum duodecim Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, quamplurimi, innumerabilisq. Principum, Ducum, & Comitum, multitudo, centumq. Senatores, in Romano Capitolio. Huic Diuinae Vrbi, noſtris profecto temporibus, tantum abeſt, ut ullam anteponendam putem, ut ne ullam quidem conferi poſſe contendam: ex ueteribus uero nullam fuiſſe magis ſimilem crediderim, quam celebres, atque doctas, Athenas, lumen, & ornamentum, Graeciae, in quibus o-

omnes

omnes liberales artes tātopere uiguerūt, & celebratae sunt, & in quibus illi antiquitatis, & doctrinae, ratione uenerandi, Philosophi floruerunt, qui naturalium, atque diuinarum, rerū cognitionem, & scientiam ita locupletarunt, quiq. tantum studij, & diligentiae, in ea recollocarunt, ut nobis praecepta, & quasi normam, praescripserint, qua adiuti, cum uirtute homines uersari, & morum praestantia eminere, possemus. Quorum adhuc exstat, uigetque, memoria; scriptaq. eorum doctissima leguntur. Et, quantum assequi coniecturis optimis, & ratione, possumus, ut Cicero quoque multis in locis testatur, (qui saepius *Atticum leporem* appellat) Atheniensum Ciuitatem optimis, & humanissimis, moribus fuisse credimus institutam. Multos item exstitisse Atheniensum minime dubitamus huiusmodi liberalitate praeditos; quamuis ceterorum nomina, praeter Cimonis, Miltiadis filij, liberalitate insignis, tenebris, & obscuritate, uel temporum, uel scriptorum, iniuria, delitescant. illius enim domus semper omnibus patuit: neque cuiquam umquam, in quo praesertim aliqua uirtutis significatio appareret, hospitum denegatum accepimus: quiq. etiam, eadem liberalitate adductus, uillas habuit, nullis muris, atque saepibus, munitas, ut omnium usui paterent. huic, qui ex manubijs hostibus ereptis, & spolijs e bello reportatis, ditissimus fuit, multos alios fuisse similes Athenis crediderim: quemadmodum hoc quoque, sine ulla dubitatione, audeam affirmare, multos fuisse in hac Vrbe, & nunc etiam esse, Cimones, qui tam praeclara laude, & uirtute, excellant: quod, qui huc proficiscuntur, uel otij, uel negotij, caussa, experiendo magis fortasse re ipsa, quam ex litterarum monumentis addiscendo, facile cognoscunt. quae inquam Ciuitas in hoc quoque dignissima est, quae cum antiquissimis Athenis conferatur; quod, ab ultima paene hominum, & litterarum nostrarum, memoria, & praeclarissima ipsa tulit ingenia, & aliunde accersitos, celeberrimos, in omni disciplinarum genere, uiros, & in iuris potissimum cognitione, aliquando uel inuitis ijs, in quorum imperio erant, honestissimis condicionibus

ex alienis fecit ſuos. Quorum praeclariſsimorum ſtudiorum cauſſa, ut olim Athenas, ſic nunc quoque ex omnibus gentibus ad hanc Vrbem praeſtantiſsimorum adoleſcentum fit concurſus; qui mox, domum reuertentes, populorum gubernationi praeficiuntur, & ad res publicas adminiſtrandas, ad leges inſtituendas, & ius dicendum, publice aduocantur. Cuius rei praeclarum nobis exhibent teſtimonium pulcherrima Hiſpaniae, & Galliae, Regna, aliaeq. exterae Prouinciae, in primisq. Italia, & illius caput, atque princeps, ROMA, in qua ſemper floruere, atque uerſati ſunt, uiri praeſtantiſſimi, Bononiae, ueluti Muſarum in ſinu, educati. Multi etiam Bonononienſes Ciues, altiſſimos dignitatum gradus ſunt conſecuti: cum multi hinc exſtiterint, & Rotae, ut aiunt, Auditores, Epiſcopi, ut appellantur, multi, multi Cardinales, & Romae moderatores, earumq. Prouinciarum, quae Romano, & Apoſtolico, parent Imperio; qui, tamquam prudentiſſimi Gubernatores, inter tot, tamq. uarias, procellas fluctuantem Petri Nauim rexere, & a ſcopulorum incurſu, turbulentiſſimisq. tempeſtatibus, uindicarunt. Quae hucuſque, Diuino beneficio, ſingulari, atque admirabili, GREGORII XIII. Maximi Pontificis, prouidentia, & uigilantia, ſeruata, & recta eſt. De cuius olim uirtutibus perpetuo non ſolum Bononia, Eius feliciſsima Patria, ſed uniuerſa Italia, gloriabitur, nulla aetas, nulla memoria, conticeſcet. Huic, Summi Dei pietas Sacroſanctae Chriſtianae Religionis adminiſtrationem tradiderat; & in puppi, ut clauum teneret, collocarat. Quod quidem munus, & cura, uniuerſi ſcilicet Orbis, & ſalutis hominum, ſapientiſsimo, atque praeſtantiſſimo, Illius animo digna fuit. Cuius Sanctiſsimae cogitationes, atque conſilia, non id ſolum felicitatis aſſecutae uidentur eſſe, ut nobis, qui uiuimus, Eumq. praeſentem intuiti ſumus, atque ſpectauimus, pacem, atque ſalutem, attulerint; ſed hac quoque gloria cumulabuntur, ut tanti Pontificis memoria, atque exemplum, cum in poſteriorum Pontificum animis inſederit, idem gloriae ſtudium excitet; eundem ſecuritatis publicae fru

ctum pariat; eandem denique Populi omnes, qui longissimo interuallo nos consequentur, ex Eius Sanctissimis institutis, ad uniuersum Orbem, salutem, ac quietem, in omnem posteritatem redundare fateantur. Quemadmodum enim caelestes globi, atque Sidera, eosdem caeli repetentes amfractus, eosdem etiam euentus terris dicuntur impartire; ita, perdurante, numquam intermoritura, memoria, Diuinae huius Pontificis uirtutis, in Eius Successoribus, Christiana Resp. eodem pacto, perpetua felicitate, & continenti secundarum rerum cursu, perfruetur. Iamq. multi praeclari obseruatores, & imitatores, Sanctissimarum Illius rerum praeclarissime gestarum, praeclaro animo ad uerum decus, unde Illius apparent Sanctissimis Pedibus impressa uestigia, properant. Te igitur, GREGORI. XIII, singulare Bononiae, Romae, Italiae, atque Europae, ornamentum, Te nunc, inquam, quem nobis dudum acerbus, & immaturus, obitus eripuit, Tibi fortasse maturus, satis enim uixeras uel aetati, uel gloriae, inter beatos illos animos relatum, appello. ut, eo studio, quo Ipse a summo Deo, quasi debito tuis uirtutibus praemio, fuisti ornatus, Tuis factis immortalibus, immortali memoria dignis, ex Tua sapientissima consuetudine, constans, me, huic quae Te genuit, Vrbi dicatum, quem in Tuam fidem, atque clientelam, uiuens acceperas, nunc, inter superos receptus, caelitus respicias, atque Tuo patrocinio, praesentiae Tuae, & studij, spe destitutum, adiues. Nec uero, cur de hoc dubitem, ullam caussam esse uideo. Is enim Tibi iam a summo Deo, Tuis etiam precibus, suffectus est orbi regendo Pater, quem Tibi, in eo gubernando, non dissimilem fore, in Eius praeteritam uitam intuentes, certo confidimus. Sistet enim SISTVS Ecclesiam: nec iacta a Te, ad Catholicae Religionis cultum, & incrementum, fundamenta imperfecta esse sinet: sed, Tuis, & proprijs etiam, insistens uestigijs, opus perpoliet. Faxit igitur Deus, ut, quae iam animo praeclara Ipsum designasse intelligimus, ad optatum finem possit perducere. Ego certe, si mihi ad eum diem spiritum ducere contigerit, tunc me felicem prorsus putabo. Quod

ut

ut certo futurum speramus, ita breui ut nobis, ad uniuersae Christianae Reip. quae antiquissima rerum omnium nobis esse debet, gloriam, ac dignitatem, contingat, ab omnipotenti Deo, enixe admodum, & humiliter, petimus. ut, quae multis aerumnis, nostra culpa, & scelere, contractis, affligitur, singulari Eius San ctitatis uitae mu nere recree- tur.

BONONIAE, Apud Alexandrum Benacium.

CIↃ IↃ XXCV

Curiae Archiepisc. & Inquisit. concessu.



